

ÉDITION DE LA VERSION V

Orig.: Rome, Biblioteca Apostolica Vaticana, Vat. lat. 456, f. 205v-206r. Edition: TAMBURINI, «Suppliche per casi di stregoneria», p. 655-657.

Errores gazariorum seu illorum qui scopam
vel baculum equitare probantur

[1] Primo quilibet persona cuiusvis sexus per aliquem, humane nature inimico suadente, seducitur, seducens, in abismum malorum seductum precipitans, facit ipsum iurare totiens quotiens fuerit per ipsum requisitus, omnibus pretermisssis secum ad synagogam properant¹, attento quod dictus seducens ungenta ad hoc pertinentia ministrabit.

[2] Item in loco synagoge dyabolus seductum presentare satagit, qui appetit aliquando in specie catti² nigri, aliquando in specie hominis non tamen perfecti vel sub similitudine alterius animalis, sed tamen communiter sub specie catti nigri. Seductus autem a dyabolo interrogatur an velit in societate permanere et persistere, ad nutum seducentis respondet quod sic. Quo auditio, dyabolus iuramenti fidelitatis a seducto exigit in modum qui sequitur: Primo iurat quod erit fidelis magistro presidenti totique societati. 2º quod omnes quos poterit societati et fraternitati aggregare, pro posse aggregabit. 3º quod usque ad mortem non revelabit secreta societatis. 4º quod omnes pueros quos poterit stringere pariter et interficere, interficiet et ad synagogam deportabit, presertim pueros trium annorum vel infra. 5º quod quotiens fuerit vocatus ad synagogam, omnibus pretermisssis venire festinet. 6º quod omnia matrimonia que poterit impedire, impedit, scilicet per sortilegia et alia maleficia. 7º quod vindicabit iniurias secte vel alicui ex ipsis factas coniunctim vel divisim.

[3] Hiis sic iuratis, seductus adoret presidentem [et] homagium eidem faciendo. Et in signum homagii osculatur dyabolum in

1. *sic*

2. *sic*

quacumque specie apparentem in culo vel ano, dans ei pro tributo unum membrum sui corporis post mortem. Hiis factis, omnes huius secte letantur de adventu³ novi heretici, convivantes, edentes et bibentes que apud illos sunt, et singulariter pueros interfectos, assatos pariter et elixatos. Quo peracto, postquam ad libitum tripudiaverunt, dyabolus qui tunc presidet, clamat, lumen extinguendo: «Meschlet». Cuius vocem quam cito audiunt⁴, simul carnaliter coniunguntur solus cum sola vel solus cum solo, et aliquando pater cum filia, filius cum matre et frater cum sorore et equo, ordine nature minime servato, sed dyabolice et bestialiter. Postea lumine reaccenso, bibunt iterum et comedunt, et separatis mingunt et merdant in dolium, et hoc faciunt in contumeliam eukaristie. Post hoc unusquisque in domum suam revertitur.

[4] Item postquam seductus ita fecit, dyabolus [suus] presidens dat sibi unam pixidem ungento plenam et baculum, cum quibus debet seductus ire ad synagogam, docetque eum quomodo et qualiter debet baculum inungere. Illud namque ungentum dyabolice malignitatis ministerio conficitur ex pinguedine puerorum assatorum et elixatorum et aliis etc. [5] Item fit illud ungentum de predicta pinguedine puerorum mixta cum animalibus venenatissimis⁵, scilicet cum bufonibus, serpentibus, lacertis, araneis. De quo ungento si quis semel tactus fuerit, irremediabiliter mala morte vel diutina infirmitate aut subito interimitur.

[6] Item faciunt pulveres ad interficiendum homines. Qui pulveres fiunt ex interioribus puerorum mixtis cum predictis animalibus venenosis; que tria pulvrisata per unum ex societate predicta tempore nebuloso sparguntur per aerem, et tacti ab illis

3. adventi *orig.*

4. adiunt *orig.*

5. venenatissis *orig.*

pulveribus aut moriuntur aut gravissimam infirmitatem patiunt⁶. Et propter hoc aliquando in una regione est mortalitas et in alia non. [7] Item predicti heretici cum possunt habere unum ruffum⁷ hominem non de secta eorum, sed catholicum, expoliant eum nudum ligantes super scampnum, ut se movere non possit, et admittunt animalia venenata eundem mordentes, usque quo ab illis suffocatur et moritur. Quo mortuo, suspendunt eum per pedes, ponentes sub ore eius aliquod vas vitreum vel terreum ad tenendum immundicias et venenum, per os et alios meatus⁸ hominis distillantes. Qua recollectione facta, cum pinguedine suspensorum in patibulo et interioribus puerorum ac etiam animalibus venenatis predictis, que hominem interficerunt ministerio dyabolico ungentum illud conficiunt, quod solo tactu interficit omnes homines. [8] Item ministerio predicto / (*f. 206r*) capiunt pellem unius catti repletam ipsam leguminibus, scilicet ordeo, frumento, avena et racemis, dictamque pellem sic repletam ponunt in uno fonte vivo et permittunt stare per triduum. Deinde capientes et desiccantes pulverisant ascendentisque tempore ventoso super montem spargunt circa regiones opulentas et contra certas possessiones, ut in illis fiet sterilitas et tunc dyabolus propter id sacrificium suum mirabiliter cooperatur.

6. *sic*

7. *sic*

8. *meatos orig.*